Theſeωn Theologicarum

DE

AVCTORITATE SCRIPTVRAE SACRÆ

LOCVS ALTER.

Quòd diuina eius auctoritas non pendeat ab Eccleſia.

Dequibus Deo duce, ſub præſidio D. FRANCISCI IVNII, reſponſurus eſt ABRAHAMVS HENRICVS a.d. xiii. Decembris.

HEIDELBERGÆ
cIↃ IↃ LXXXIX.

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS
D. MERLINO ET D. PERRVQVETO
ECCLESIAE VITRAEENSIS IN BRITANNIA
AREMORICA PASTORIBVS, CAETERISQVE
ANTISTITIBVS, PRESBYTERIS ET DOMINIS
COLENDISSIMIS,
THEOLOGICAS HAS THESES
DE SCRIPTVRAE SANCTAE AVCTORITATE
IN AEVITERNVM DEBITAE OBSERVANTIAE
TESTIMONIVM DEDICAT ET OFFERT
ABRAHAMVS HENRICVS, NOR-
MANNVS.

THESES THEOLOGICAE
DE AVCTORITATE SCRIPTVRAE SACRAE.

Quod diuina eius auctoritas non pendeat ab Ecclesia.

I.

Eorum qui minuunt auctoritatẽ Scripturę sacræ duo sunt genera: nam alii de tota auctoritate minuunt, quum eam ab Ecclesia vniuerse pendere statuunt: alii partes aliquas de Scriptura student infirmare.

II.

Acpriores quidem non negant simpliciter diuinam esse auctoritatem Scripturæ: sed nobis (qui nihil a natura in rebus diuinis nisi alucinamur, etiamque post acceptam lucis gratiam videmus breue) non esse diuinam nisi Ecclesiæ testificatio accesserit.

III.

Hoc est (vt declaremus simili) Solem quidem per se agnoscunt esse lucidum: sed quia cæci a natura sumus, & nobis non lucet, ergo non lucere.

IV.

Nobis vero omnino constat id quod per se est semper esse, quocunque respectu, nec vllo respectu id quod per se inest, ab eo subiecto cui inest, dum subiectum est manetque, auferri posse.

V.

Inest autem Scripturæ sacræ, & inest per se diuina auctoritas, quam superioribus disputationibus per causas ostendimus.

VI.

Auctoritatem vero aliquam Ecclesiæ respectu nostri non negamus accedere: vt quæ a Deo acceperit scripturam

per ipsum & Notarios eius, accepram scripturam inuenerit, scriptam per manus tradiderit, & tradens consensione publica & successione perpetua testatam nobis fecerit faciatque.

VII.

Sed hæc auctoritas subordinata est, vt vocant: non possunt autem in causis coordinatis, eæ causæ quæ inferiores & posteriores sunt, aliarum priorum anteriorumque vim & facultatem obtinere.

VIII.

Auctoritas Dei est prima summaque, & sola sufficiens per se: proinde nulla ad eam potest fieri a nobis accessio: nam infinito quis addat?

IX.

Auctoritas Ecclesiæ est secundaria, non ad statuendum (hoc enim Dei solius est) sed ad testificandum diuinam auctoritatem Scripturæ.

X.

Vtramque ergo auctoritatem agnoscimus, sed suo ordine. Quem ordinem conuellunt hodie, quicunque priorem illam, solidamque, & essentialem auctoritatem minuunt, vt posteriorem, secundariam, infirmamque, & accidentariam imprudentes augeant.

XI.

Hoc autem vt obtineant, tribus ferme argumentorum generibus abutuntur: a dignitate officioque Ecclesiæ, ab accidentibus Scripturæ vitiis & corruptionibus, & a Patrum orthodoxorum quorundam sententiis.

XII.

ECCLESIAE officium quum dicimus, duo volumus intelligi, tum quod debuerit, tum quod debitum illa præstiterit.

XIII.

XIII.

Debitum Ecclesiæ officium istud est, vt verbum Dei scriptum diuinaque auctoritate præditum agnoscat oblatum sibi: accipiat traditum: seruet depositum: legendum omnibus, credendum & seruandum domesticis proponat publice priuatimque: & tum reuerentia prosequatur vt diuinum, tum ad eandem reuerentiam exhibendam adducat suos: exteros denique doctrina, exemplo, & modis omnibus eodem prouocet.

XIV.

Præstitũ Ecclesiæ aspectabilis (nam de cælesti Ecclesia nihil hoc loco dicimus, ad quam nihil attinet scriptus verbi diuini modus) officium est quidem illud ipsum quod modo perstrinximus, sed imperfectum: prout omnia eius membra hic imperfecta sunt, eoque perfecte officium præstare non possunt.

XV.

Verumtamen officium istud quod imperfecte præstari dicimus, alias minus imperfectum est, & alias magis.

XVI.

Perfectus itaque custos & vindex auctoritatis diuinæ ad Scripturam pertinentis est Deus Pater in Filio per Spiritum sanctum, qui se adfore promisit ei & ministerio illius vsque ad consummationem mundi.

XVII.

Imperfectus custos & vindex eiusdem auctoritatis est Ecclesia Dei, totum suum lumen in Christo habens, & perfectionem in Spiritu eius.

XVIII.

Quapropter etiam Ecclesia domus Dei viuentis, στύλος καὶ ἑδραίωμα, columna & basis veritatis illius diuinæ appellatur.

XIX.

Domus Dei viuentis est, in qua Deus habitat, & in qua asseruandum deposuit verbum suum, & domesticis dispensandum non pienaria potestate, sed fideli ministerio.

XX.

Στύλος vel columna veritatis est, ad quam verbum veritatis ex instituto Dei appensum est & omnibus propositum, quod legant, intelligant, recordentur, sequantur, colant: vt olim columnis publicis appingebantur leges atque programmata.

XXI.

Ἑδραίωμα, id est, sedile firmum & basis veritatis est Ecclesia: vt cui columna veritatis est impositа, & omnium domesticorum eius exterorumque oculis proposita, ne labefactari a mundo portisue ipsis inferorum possit: adeo firma & solidata est Dei ædificatio.

XXII.

Ecclesia igitur pro modulo suo depositum veritatis seruat vt curiâ publicâ fit: proponit, vt columna, leges: immotamque columnam Dei & veritatem in columna seruat, vt basis illius: sed omnia Deus in ea & in omnibus perficit.

XXIII.

Sic ecclesiæ non est ea dignitas officiumque vt Scripturæ sacræ diuinam auctoritatem conferat: sed vt adesse testetur datam atque impressam: quemadmodum curiæ locus testatur acta publica apud se deposita, ac non auctoritatem facit.

XXIV.

Etsi humana quadam auctoritate homines non negamus perutiliter affici, ad contemplationem Ecclesiæ.

XXV.

XXV.

Sed cum inferior auctoritas nihil de ſuperiore deterat, quin potius miniſtret ei: non eſt penes Eccleſiam addendi, minuendi, mutandiue de ſumma illa, infinita, diuinaque auctoritate auctoritas.

XXVI.

Nam diuinæ rei, perfectæ, infinitę, ſummę, nihil poteſt accedere: ſi minueris, imperfectam feceris: ſi addideris, aut permutaueris, alterum neceſſe eſt, aut fuiſſe imperfectam doceas, aut perfectione eius mutata imperfectam eſſe a te redditam fatearis.

XXVII.

Quamquam infinite audacem eum hominem, eam Eccleſiam oportet eſſe, quæ rem diuinitus in ſeipſa perfectam, a ſe humanitus perfici poſſe gloriatur.

XXVIII.

At corruptio, inquiunt, acceſſit multiplex: quid ergo fiet, niſi adhibeatur a nobis, illa Eccleſiæ auctoritas?

XXIX.

Primum hac obiectione culpa Eccleſiæ aliqua & imperfectio (de qua diceba mus ante) oſtenditur, non autem adfertur auctoritas. Nam ſiquod vitium eſt oblatum Scripturæ ſacræ, aut aliena malitia factum, aut communi Eccleſiæ infirmitate, aut particulari imprudentia & inſcientia domeſticorum eius.

XXX.

Cum autem cuſtodem eam Dominus inſtituerit: ſi depoſitum corruptum eſt, id præſtare oportebit depoſitariam, cuius dignitatem in depoſito ſeruando, infirmitatem in depoſito corrupto agnoſcimus.

XXXI.

Quod ſi aliena malitia vitium oblatum dicitur, fidem ta-

men suam & diligentiam probare debet Ecclesia Domino: cui non est vis probandi se per se, sed mandatum implorandi misericordiam Domini, dicendo, Remitte nobis debita, &c.

XXXII.

Hac igitur in re quoque, inscientiæ, & infirmitatis, & indiligentiæ culpam aliquam certe Ecclesia agnoscat & deprecetur necesse est, gloriamque totam Deo tribuat, qui promissionis verbum præstitit bono nostro, deletâ culpâ.

XXXIII.

Secundo, quæ corruptio acciderit Scripturæ, videndum est. Hæc vero non substantialibus cælestis doctrinæ partibus accidit: sed quibusdam vocibus & locis solum, quorum vitio non possunt partes primariæ vitiari.

XXXIV.

Constat enim apud omneis, cuius partes substantiales & primariæ integræ permanent, id totum reuera existere: neque particulare vitium vnum pluraue, aut alienam λειτολογίαν substantiam aut naturam eius euertere.

XXXV.

Postremo vt aliquid ponatur vitiosum inesse, id Ecclesia non ex se pro imperio aut opinione: sed ex Scripturis ipsis, & ex fidei analogia, & ex veterum librorum fide restituere tenetur, aut intelligere & interpretari commode.

XXXVI.

Atqui non esset corruptum illud, quod aliquando etiam legimus periisse? quod mala fide tractauerunt depositarij? quod scriptura variat? cuius instaurationi & scriptioni humanam operam oportuit adhiberi, vt res integra haberetur?

XXXVII.

Periisse negamus vnquam, ne ipsum quidem Testamentum vetus in Ecclesia vetere: nam etsi authenticus ille codex qui in templo seruabatur, olim periit, aliique multi: omnia tamen exemplaria negamus periisse: sed Prophetas & pios quosque in Iudæa, Syria, Ægypto, Chaldæa, &c. diligenter seruasse confirmamus.

XXXVIII.

Depositarios mala fide egisse agnoscimus: sed nec omneis nec omni tempore. Id enim post demum Iudæis accidit, quum Ecclesia gentium communi iure a Christo ad custodiam depositi illius vocata est. Quapropter id crimen sacrilegum Christus & Apostoli nusquam leguntur reprehendisse, & prisca Ecclesia Christiana ab eo malo facile vindicauit.

XXXIX.

Scriptionis modo non diffitemur variare: sed in locis rebusque & vocibus particularibus, ac non præcipuis: qua occasione qui totum vitiari dixerit, eadem plane impius & λάϊος & futurus est.

XL.

Instaurationi testamenti veteris operam humanam negamus accessisse, qua litteræ punctaque Hebræa constituta sint, & restitutum corpus Scripturæ sacræ. Nam primum negamus periisse: & quorsum instauratio? secundo negamus quæcunque siue de Esdra, siue de Synedrio magno fabulantur, literas aut puncta aut quidquis aliud ab eis reçusa esse: postremo siquid factum (vt est) ea lege factum asserimus, quæ thesi 35. fuit exposita.

XLI.

Itaque Scripturę canonem, fidei analogiam, veterum exemplaria fide optima diligentiaque contulerunt, quæ exsta-

bant in manibus piorum, non ab ipsis fabricata: & siquid intulerunt iudicio suo, religiose dederunt operam, ne inderetur in contextum sacrum: sed id totum seorsim adnotauerunt.

XLII.

SANCTORVM Patrum sententias pie & sancte dictas de hoc argumento non reiicimus ipsi: sed eas male adducunt & interpretantur, quicunque de illa diuina Scripturarum auctoritate derogant, vt arrogent Ecclesiæ suæ.

XLIII.

Auctoritatem enim Scripturæ ab auctoritate Ecclesiæ confirmarunt quidem, sed religiose. Religio autem vera exigit, vt triplex cautio adhibeatur in hoc argumentorum genere.

XLIV.

Prima est, Patres de secundaria illa auctoritate sensisse & dixisse, quam thesi, & sequentibus ante distinximus.

XLV.

Secunda, eam argumentationem non tam adhibuisse apud pios & germana Ecclesiæ membra (nam apud hos pluris est Dei quam Ecclesiæ, id est diuina quam humana, infinita quam finita, æterna quam temporaria, interna Spiritus quam externa visus humani auctoritas) sed apud hæreticos, diuinæ auctoritatis nescios, de qua piorum mentes luce & demonstratione Spiritus confirmantur.

XLVI.

Tertia, ne hoc quidem semper documento hæreticos refellere: sed tum maxime, quum illi contra obtenderunt humanam auctoritatem aliquam, vt fucum facerent ignorantibus, longe maiorem auctoritatem a suis partibus demonstrare.

XLVII.

XLVII.

Inique igitur faciunt qui ſermones a Patribus de auctoritate Eccleſiæ ſecundum ordinem ipſius, reſpectu hæreticorum & falſæ illorum auctoritatis enunciatos ſic palam venditant, vt ſi pii Patres plenariam auctoritatem Eccleſiæ proprie ſimpliciterque tribuiſſent.

XLVIII.

Nos vero nec ſecundum Patres, nec ſecundum veritatem Dei auctoritati Eccleſiæ in eum modum ſubiecti ſumus: ſed Deo quod eſt Dei, Eccleſiæ quod eſt ipſius, religioſe ordinateque tribuimus.